



Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

B. VVolfholdvs Presbyter Svmmontorii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

B. WOLFOLDVS.



Quis, Wolfhold, tibi vinctus molitur ad aras,
Et pandit clausas ad sacra tecta fores?
O si Wolfhold, gonus omne quod cecidit orbis
Sit geminum, lamibus iam nulla foret.


Nulli ferrato striderent cardine postas,
Tutior oclusa staret aperta domus.
Vltro cui sacri patuerunt limina templi
Huic aditus celi quis patuisse neget?

V

B. WOLF.

DE A. VVOLLKORNDIG PRESERVATIONE

119



A. VVOLLKORNDIG

V

B. VVOLFHOLDVS

PRESBYTER SVMMON.

TORII.

IN eadem æde Summontorij magna religione colitur Cal. Febr. VVolfholdus, sacris maioribus initiatus. Propter B. Richildis facellum ad latus, sepulchrale saxum extat ala templi affixum, intra quod conditus est B. VVolfholdus qui ad ædem hanc sacram olim coluit, magnaque cum virtute vixit, solitus nulla non nocte cubitu surgere, limina templi petere, per apertas diuinitus portas intrare, regredique post vota, valuis sponte post diuini viri egressum coeuntibus: quo nomine, eodem cum Richilde cultu populum ad tumbam supplicem habuit: quamuis nec ille, nec ista solenni ritu in censum beatorum venerit, priuata singuli gentis suæ veneratio ne contenti. Extat hic de illo peruetus epitaphios:

*Fest. C13. e.
Cal. Febr.
Ex chartis Summon-
torianis ex Schiren-
fibris.*

Hic est defunctus VVolfholdus in ordine sanctus.

Laus patet exempli, quam produnt ostia templi,

Vera sacerdotis dans concordantia votis,

Crebro firmata prece Petri sunt referata.

VVolfholdus al.

Medelæ corporum ab D. VVolfholdo varijs post mortem annis passim factæ ad me perscriptæ sunt, ex quibus vnum duntaxat exempli causa, nam id mei instituti non est, exponam. Anno c13. cccc. xii. a. d. VI. Idus Septembr. in opido Summontoriano vestium concinnator è vico Seibolstorff oriundus, Stephanus, cui opificium cognomen dedit, intra vesicam graui calculo tortus immensum cruciabatur, vti nusquam conquiesceret. Cum jam extremè decumberet, adeoque vitam desperaret, vocati ad curationem chirurgi, negarunt se manus homini id ætatis (nam annis jam grauis & natu grandiserat) admoturos, nisi se æger pro mortis victimam offerret, & sibi mors eius non fraudi foret. Anxius hac denunciatione Stephanus, tamen vi doloris adactus, se in eorum potestate fore promisit, quicquid numen de se decreffet. Ergo illi in alterum diem bene manè assuturos promittunt, pro ipsius salute & sua facultate vltima tentaturi. Aeger metu propè exanimatus per noctem infomnis æstuabat, & imminentis diei periculum semper velut ob oculos versabat. Tandem & dolore exhaustus & metu

V 2

pauens

pauens Deum infimis precibus adit, votumque suscipit, se, si ex tantis malis cruciatibusque, & ultimo vitæ periculo liberetur, nudis poplitibus per montem ad cœnobium adrepturū. Deo diuisque quorum sacri cineres inibi colerentur, gratias, quantas animus possit capere, dicturum. Hæc maximè meditantem, sub intempestam noctem somnus, non tam ab natura quàm cœlo immisus opprimat, in quo hæc ægro species obiecta. Veneranda facie presbyterum duabus comitatum virginibus ad se ingredientem spectat. Virgines mitristanquam regijs coronis ornatas credebat, quarum altera religioso cultu apparebat. Sacerdos compellare visus decumbentem, rogareque an curari velit? Ille, enimvero, venerande pater: viden' immanes cruciatus & tormentum infelicitatis? Si quid potes, adjuta queso, beneficij memoriam dum vixero, ponam nunquam. Sed qui sis edere ne graueris. Ego, inquit, sum VVolfoldus hoc loci olim curio, quem hebdomadarium dicunt, & in latere templi quiesco humatus; è cœlo ad te curandum missus, uti me quoque mortales, inter diuos alios, quorum reliquæ hic custodiuntur, sint memores, meque inter illos iuxta venerentur. Virginum quas coram spectas altera est S. Richildis, altera Iuliana, quæ vno tumulo clauduntur. His deinde VVolfoldus præcipit uti Stephanum tantisper reuinctum teneant, dum ipse saxum è visceribus ægri eximat. exemptum tradit Stephano in manus, admonito, ut voti reus se promissis exoluat, & cū Virginibus disparet. Stephanus excusso somno exemptum calculum bene magnum in dextra reperit. vxorem vocat, beneficium diuinum cum ingenti gratulatione prædicat, ipse sanus, attonitis postridie chirurgis, ad montem, habitu, quo receperat, adrepat, votum exoluit, & VVolfoldi sacrarumque Virginum laudem gloriâque haud parum, assidua prædicatione illustrat. Plura id genus prætermitto. Hoc ad memoriam D. VVolfoldi renouandam in præsens satis, ut ægri medicum ad quem recurrant, non ignorent.



CONRA.